

neratim super illa miserrima consequentia, quæ vetularum etiam Logicam absolvit, fundata, quâ, coincidentibus fortè in eundem diem in cœlis hac aut ista constellatione, in terris autem alicubi gentium hoc aut isto eventu, haut majore veri specie inferunt, illam hujus aut causam aut indicium fuisse, quàm si quis reposito in angulum quempiam baculo cadentes mox pluvias tanquam vel efficienti vel indici adscriberet. Neque plus certitudinis reperias in quorundam specialioribus suppositis, qui, spretis remotiorum influentiis, ad Lunæ phases & variatum Lumen, majori saltem specie, referunt omnia. Ut enim præteream ea quæ Phæn. XXI. bonâ fide annotavimus, non desunt exempla continuatæ per menses integros, aliquando etiam plures, siccitatis vel pluvix, frustra interim expectatâ circa Lunam vel novam vel plenam vel dichotomam ulla mutatione; & iis ipsis Julii mensis diebus prioribus quibus anno jam superiore hæc scripseramus, cœptæ primo pluvix in ipsum 4tum durabant, neglectâ prorsus quadraturâ 2 secundâ quæ in præcedentem 3. Julii inciderat; scil. quia ventus circa occasum & in vicinia hærebat, serenitatem indubiam mox allaturus, si per boream ad Eurum paulatim deflexisset. A ventis enim immediatè ac principaliter in his nostris terris aëris mutationes dependere (quod Phæn. XVI. ac XVIII. jam ex parte comprobavimus) ad constellationes cœlestes autem frustra in hoc toto negotio respici certissimi sumus & prorsus convicti; nec possibile tamen ut hac nostra certitudine alios convincamus aut à superstitione tralatitia revocemus, nisi firmo illi proposito, & sepositâ tantisper opinione de utriusvis hypotheseos sive veritate sive vanitate, verum ipse cordatè investigare, ac in dies singulos aëris constitutionem aut mutationem ex una parte ad cœli constellationes & regulas Astrologicas (vel dissensu suo frequenti vanitatem prodituras) ex altera verò ad Ventorum fontes & conditiones fideliter referre sustinuerint; haut neglectis interim, quæ nunc porrò de Ventorum ipsorum, cæterisque superiùs annotatis Phænomenis, & utrorumque rationibus saltem verosimilibus, dicturi sumus.

X. Quod igitur ad ventum illum sub Zona torrida generalem ac perpetuum, ab oriente & proximis utrinque plagis adspirantem attinet, ejus causam à motu telluris diurno petitam, alioqui satis speciosam, ob allegatas ab Hallejo num. XIV. cap. III. rationes meritò repudiatam parum abest quin persuasi simus, si vel nihil offen-